



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

LII. De testimonio de auditu reprobando in causa matrimonii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

<sup>ANNO
CHRISTI
MCMXV.</sup> nes prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis qui eis præsumpserit interesse, per trienium ab officio suspendatur, grauius puniendus, si culpæ qualitas postulauerit. Sed & iis, qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu concessu, condigna poenitentia iniungatur. Si quis autem ad impediendum legitimam copulam malitiose impedimentum obiecerit, ecclesiasticam non effugiet vltionem.

LII.

Licet ex quadam necessitate præter communem formam alias fuerit institutum, ut in consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valeret testimonium de auditu, cum propter breuem hominum vitam testes de visu deponere non valerent usque ad gradum septimum computando, quia tamen pluribus exemplis & certis experimentis didicimus ex hoc multa pericula contra legitima coniugia prouenisse, statuimus ne super hoc recipiantur testes de cetero de auditu, cum iam quartum gradum prohibitio non excedat, nisi personæ graues extiterint, quibus fides merito sit adhibenda, & ante motam litem testificata didicerint ab antiquioribus quidem suis, non utique uno, cum non sufficeret ille, si viueret, sed duobus ad minus: nec ab infamibus & suspe&tis, sed a fide dignis, & omni exceptione maioribus, cum satis videretur absurdum illos admitti quorum repellerentur auctores: nec tamen si unus a pluribus, vel infamis ab hominibus bonæ famæ acceperint quod testentur, tamquam plures & idonei testes debent ad-

Cc iij

mitti, cum etiam secundum solitum ordinem iudiciorum non sufficiat vnius testis assertio, etiam si praesidali dignitate præfulgeat, & actus legitimi sunt infamibus interdicti.

Testes autem huiusmodi proprio iuramento firmantes, quod ad ferendum in causa ipsa testimonium odio, vel timore, vel amore, vel commodo non procedant, personas expressis nominibus, vel demonstratione, sive circumlocutione sufficienti, designent, & ab utroque latere clara computatione gradus singulos distinguant, & in suo nihilo minus iuramento concludant, se accepisse a suis maioribus quod deponunt, & credere ita esse. Sed nec tales sufficient, nisi iurati deponant se vidisse personas saltem in uno praedictorum graduum constitutas pro consanguineis se habere. Tolerabilius est enim aliquos contra statuta hominum copulatos dimittere, quam coniunctos legitimate contra statuta Domini separare.

LIII.

In aliquibus regionibus quædam permixtae sunt gentes, quæ secundum suos ritus decimas de more non soluunt, quamvis censeantur nomine Christiano. His nonnulli domini praediorum ea tribuunt excolenda, ut decimis defraudantes ecclesias, maiores inde redditus assequantur. Volentes igitur super his ecclesiarum indemnitatibus prouidere, statuimus ut ipsi domini talibus personis & taliter sua prædia excolenda committant, quod absque contradictione decimas ecclesiis cum integritate persoluant, & ad id, si necesse fuerit, per